



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

Cl. Ioannes Lvdovicvs LXXV. Arch. XXX. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

C. IOANNES III. LXXIV. ARCH.
XXIX. ELECTOR.

JOannes Metzenhusanae stirpis insigne decus, dum summæ Ecclesiæ Præses præponitur, priora merita adeò auxit posterioribus, ut unâ omnium eligentium suffragiis Elector electus, Clementi VII. Pont. & Carolo V. Cæsari pergratus, ab horum priore Pallio, à posteriore Electorum insignibus sit exornatus. Pacis idem liberalibusque addictus studiis, neglectum à civibus Academiae resumpsit sibi patrocinium, Viris doctissimis eam in rem accersitis, quos inter fuit Ambrosius Pelargus è D. Dominici Ordine Theologiæ Doctor, & fidei propugnator insignis. Non minùs iis temporibus lapsam disciplinam & justitiæ tribunalia neglecta reparare occipiens, componendis de Religione dissidiis inter alios Viros Principes à Cæsare constituitur. Verùm improvise correptus morbo in arce Dansteiniana an. 1540. morti succubuit. Sed an. 9.

CI. IOANNES LUDOVICVS LXXV. ARCH.
XXX. ELECTOR.

JOannes Ludovicus ex familia de Hagen oriundus, summo Nobilitatis Ecclesiasticæ consensu ad supremam Trevirorum Cathedram evectus, consuluit temporì ac necessitati; nam novorum dogmatum probè memor, Bartholomæum Latomum per annos 9. Lutetiæ eloquentiam professum, & aliàs diverso doctrinæ genere instructum, magno Catholicæ Religionis bono à consiliis esse sibi iussit, in publicis Imperii Conventibus futurum Oratorem, & in Fidei Controversiis Orthodoxæ veritatis defensorem. Anno 1542. in Comitibus Spiræ & Norimbergæ Joanne Ludovico præsentè auxilia contra Mahometanos sunt decreta, eventu parùm felici: reversus eam ob rem etiam ex Africa

ca

ca Imperator Carolus cum Electore hoc Confluentiae rem transegit, quam brevi secuta pax Carolum Caesarem inter & Franciscum Regem, Ecclesiae profuit: actum namque cum Paulo III. Pontifice de congregando Tridenti Concilio, quod anno 1545. inchoatum. Interea Ludovicus laboribus & lenta tabe consumptus, Confluentiae mortem oppetiit an. 1547. Sed. an. 7.

CII. IOANNES V. LXXVI. ARCH.
XXXI. ELECTOR.

Joannes sanguine Isenburgicus Comes in Comitibus Augustanis Carolo Imperatori & Synodo Tridentinae fortiter adstitit. Tridento Treviros relatus, indicta & ipse Synodo instar boni Medici, ut saluberrimo pharmaco mederetur multorum malis, a semet curando exorsus, suos sibi defectus, promissa dicenti veniam, exponi publice postulavit; cujus praclarum exemplum Antistites reliqui imitati, ultro corrigi non detrectarunt. An. 1551. cum Philippum V. Hispaniae Regem per Germaniam ad Belgas transeuntem Saraponti humanitate summa excepisset, ad Concilium post remota tantisper bella denuo Tridentum profectus; at Mauriti Ducis Saxonici ab Imperatore Carolo defectione, & Ecclesiae suae periculo maximo territus, domum repetiit. Et sane properato opus erat; nam Marchio Brandenburgicus Mauriti in armis & novis placitis socius, haud longo tempore abfuit; qui postquam Herbipolensem, Bambergensem & Moguntinam Dioeceses, sacra profanaque vastando, peragrasset, Electore Joanne contempto, in ditiones Trevirenses irrupit, relictis vix non barbarorum more vestigiis funestissimis. Inter haec animi corporisque valetudo multis malis, praesertim paralyfi graviter afflicta, Archipraesulem in monte Thaborino mortuum, & mox Confluentiam translatum sepulchro intulit an 1556. sed. an. 9.

CIII.